

21^o **D**ominj imperatores reges duces marchiones comites milites & burgenses & omnes gentes qui vultis agnoscere diuersa hominum genera & diuersarum regionum mundanas diuersitates Accipite hunc librum. nam in ipsum inuenietis omnia magna mirabilia & diuersitates armenie maioris/ persarum Tartarie/ & Jndie & aliarum multarum prouinciarum circa asyam mediam & partem europae ut patebit per ordinem sicut dominus marcus paullo veneciarum ciuis enarat. quoniam oculis proprijs ipse uidit. & sunt etiam aliqua que non uidit set audiuit ab hominibus fide dignis/ & quicumque hunc librum leget uel audiet plenariam fidem debeat adhibere quia omnia sunt uera/ antedictus dominus marcus paulus ab infancia sua usque ad tricessimum annum conuersatus fuit per partes illas. Et ideo ipso existente in carcere in ciuitate Janue — nolens uacare otio/ uisum fuit sibi ad consolationem legentium ut predictum librum compilare deberet & ipse non notauit nisi pauca aliqua que adhuc in mente retinebat compilauit autem librum hunc ano dominj m^o cc^o xcviij^o/ hic incipiunt nomina & conditiones ciuitatum posita breuiter & sucintte Primo peruenerunt ad quamdam ciuitatem nomine bucharra multum nobilis & magna erat prouincia uero similiter nominabatur bucharra & quidam rex habetur ibi nomine barach ciuitas erat melior que reperiretur in persia. et ipsis sic existentibus nuncius orientalis

2v^o dominj peruenit illuc| qui ibat ad magnum canem dominum uidelicet omnium tartarorum comorantem in finibus terre inter leuantem & grecum nomine coblai caan cum quibus profecti sunt uidelicet dominus Nicholaus & marcus ad magnum dominum qui gratanter & honorate recepit eos. & hic subsequenter tractantur multa alia que dimitto causa breuitatis ut ad alia necessaria transeamus/ & hic describuntur omnes regiones prouincie/ regna/ & ciuitates/ circa asyam mediam & partem europae firmate & omnes mores & consuetudines generaliter & diuisim omnium gentium habitantium in eisdem. & primo de armenia minori/ verum est quod due sunt armenie una quidem parua altera uero magna. set quidam rex dominatur in parua qui totam terram manutinet in iusticia & regi tartarorum subditus est in ea sunt multe ciuitates & castra & habundantia omnium habetur in eis & est terra multum solatiosa in uenationibus bestiarum/ & aucupationibus auium. set non sana prouincia. Et antiquitus nobiles uiri. ualentes erant & probi pro armis. set nunc sunt tristes & uiles & sine aliqua bonitate set potatoes sunt optimi. Jttem est supra mare ciuitas quedam. aiaç nomine que est terra magne mercationis nam omnia aromata & omnes drapi & alia mercimonia ualoris per diuersas partes ad ciuitatem istam portantur/ & omnes homines & mercatores qui uolunt pergerere infra terram ab illa ciuitate iter arripiunt/ cuius regni armenie minoris confines hij sunt Ab uno latere uersus meridiem est terra promisionis

3r^o quam retinent sarracenj| a latere tramontene sunt turcomani/ qui uocantur caramanj